De præſcriptione rerum a Vandalis ereptarum 36. De præſcriptione centum annorum Romanæ Eccleſiæ, id eſt, occidentalibus Eccleſiis adtributa 9. & poſtea in 40. annorum præſcriptionem mutata. De præſcriptione biennii non objicienda interim, dum de transactione litis agitur cum adverſario 93. c. 1. Ut qui rem alienam a malæ fidei poſſeſſore bona fide accepit, eam adverſus verum rei dominum præſentem decennio, abſentem vicennio poſſit præſcribere 119. c. 7. Ut quoties de decennii præſcriptione agitur, ſi dominus quibusdam annis præſens, quibusdam abſens fuerit, tot ei anni ſupra decennium adjiciantur, quot in ipſo decennio abſens fuerit 119. c. 8. Ut ſi mora imperatoris ſententia ferri non poſſit, judicii præſcriptio non objiciatur 23. c. 2.

De ſententiis.

De retractatione ſententiarum præfecti prætorio 119. c. 5. Ut poſt annum & tria edicta in actorem contumacem ſententia feratur 112. c. 3. Ut in medio litis aut pendente lite non juſſione principis aut ambitioſis reſcriptis judicetur ſed ſecundum generales leges Novell. 82. c. 1. & 2. Ut breviores & viliores 111. cauſæ ſine ſcripto decidantur 17. c. 3. & Nov. 83. Ut coram eodem judice reconventio fieri poſſit 96. c. 2. 123. c. 23. De pœna judicis qui male judicavit, vel ejus qui judicem vel adverſarium corrumpere curavit 124. c. 2. Ut judices nulla relatione utantur ad principem 123. c. 1. & ita abrogatur Nov. 82. c. 14. 113. c. 1. verſ. ſi vero.

De appellationibus. Nov. 23.

Ut a ſententia principis non appelletur, nec ab ea fiat retractatio apud alium quam ipſum Imperatorem 113. c. 1. Ut ne cui judici appellationes recipere liceat 82. c. 12. & 13. Ut a ſententia judicis intra decem dies appelletur, ſive propria cauſa ſit, ſive aliena 23. c. 1. Ut tempus exercendæ finiendæque cœptæ appellationis annuum ſit, niſi impedimentum aliquod ſubſit: tunc enim biennale Nov. 49. Ut ſi de cauſa appellationis compromittitur, tempora appellationum non currant 93. c. 1. Ut ſi ſtet per principem, quo minus judicetur, tempora appellationum non currant 23. c. 2. Ut ſi per judicem appellationis ſtet, quominus ſententia dicatur, tempora appellationis fatalia non currant 119. c. 4. Ut a ſpectabilibus ad illuſtres appelletur 23. c. 3. De appellationibus in Ægypto, Aſia & Ponto 23. c. 3. De appellationibus quinque provinciarum 41. Siciliæ 75. De appellationibus ad principem 20. 23. c. 2. Nov. 127. Ut appellari per alium poſſit 23. c. 11. Ut judex rationem expenſarum examinet 82. c. 10.

Qui bonis cedere.

Ne quis cogatur bonis cedere 135.

De bonis auctoritate judicis poſſidendis.

Ut præſens in poſſeſſionem bonorum contumacis mittatur pro quantitate debiti: & ut contumaci revertenti poſſeſſio reſtituatur, redditis primo impenſis litis 53. c. 4. in fin.

De pignoribus & hypothecis.

Ut pignus a debitore vendi poſſit, ſalvo creditorum jure 112. c. 1. verſ. ab hoc. Ut prius conveniatur debitor principalis, quam fidejuſſor, & poſſeſſor rerum a debitore acceptarum 4. c. 3. Ut debitore pecuniam numeratam non habente, addicantur creditori res ejus 4. c. 3. Ut creditor, cujus pecunia, navis, domus, aut ager emitur, anterioribus (mulierem excipe de dote agentem) etiam creditoribus præferatur in hujusmodi navi, domo & agro 97. c. 3. Ut mulieri de dote agenti præferatur is, qui pecuniam credidit, ut militia emeretur, quantumvis poſt dotem jam conſtitutam, pecuniam crediderit, Nov. 53. c. 5. §. 1. Nov. 97. c. 4. Ut dos prioris uxoris præferatur doti ſecundæ, ſive ipſa, ſive liberis ejus agentibus, niſi res ſecundæ uxoris adhuc extent 91. c. 1. Ut ſi poſſeſſor conventus rei vindicatione negaverit, rem eſſe actoris, poſtea convictus ad legem pignoris vel ἐμφυτέυσεως, vel ſuperficiei cauſam vel quam aliam defenſionem confugiat, non audiatur, ſed transferatur poſſeſſio in actorem, deinde agatur hypothecaria aut vectigali aut ſuperficiali actione 18. c. 10. Ut ex ſcriptura depoſiti vel mutui, tribus teſtibus munita, jus pignoris aut hypothecæ & prælationis peti poſſit 83. c. 12.

De litigioſis.

Ut res litigioſæ dividi poſſint inter heredes 112. c. 1. Ut re litigioſa legata, fideicommiſſa, teſtamentove relicta, non ipſa, non ejus æſtimatio, ſed ſolus litis eventus debeatur d. c. 1. §. 1. ſi vero heres: ut quæ de litigioſis dicta ſunt, ad res hypothecæ datas non pertineant d. c. 1. verſ. ab hac.

De duobus reis promittendi.

Ut duobus ſimul obligatis, ſi non fuerit adjectum, ut in ſolidum tenerentur, tacite intelligantur teneri ex æquo 99. c. 1. Ut qui in ſolidum cum alio obligatus eſt, reo idoneo præſente in ſolidum conveniri non poſſit d. c. 1. verſ. ſi vero.

De fidejuſſoribus.

Ut præſens principalis prius conveniatur quam fidejuſſor 4. c. 1. Ut mulier pro marito nullo modo fidejubere poſſit 134. c. 8.

De ſolutionibus.

Ut debitore pecuniam numeratam non habente addicantur creditori ſolutionis cauſa res ejus 4. cap. 3.

De patria poteſtate.

Ut patriciatus dignitas, Nov. 81. in principio. Dignitas conſulatus, præfecturæ prætorio Nov. 81. c. 1. Ut omnis dignitas, omne cingulum a curia liberare valens d. c. 1. §. 1. Ut Epiſcopatus liberos patria poteſtate ſolvat, Nov. 81. c. 3. Ut liberati patria poteſtate legitimorum jura intacta habeant Novell. 81. c. 2.

De infantibus expoſitis.

Ut qui filium expoſuit, jus patriæ poteſtatis amittat 153. c. 1. Ut qui expoſitum nutrivit, eum in ſervitutem non afferat d. c. 1.

De donationibus.

Ut qui rem donavit, eam tradere cogatur 162. c. 1. Ut ſi non inſinuatæ donationes excesserint menſuram indigentem inſinuatione, ad id usque duntaxat valeant, quo non inſinuatæ

Inſinuatæ donationes valent 162. c. 1. §. 2. Ut ſi donator rem a ſe donatam alienaverit, vel pignoraverit, donationem revocaſſe non intelligatur d. c. 5. 1. Ut parens ſuis liberorum ita donet, ut reliquos liberos legitima non defraudet: & ut eo caſu liberi legatarii patris non cogantur hereditatem adire, cogantur tamen ſupplere reliquis fratribus legitimam: & ut ingrati liberi non revocent donationes factas a parente 92. Ut mulier res quas filiis donaverit, quaſi ab ingratis, poſt ſecundas nuptias revocare non poſſit 22. c. 35. Ut donationes Imperatori a privato homine factæ non egeant inſinuatione, & e contra 52. c. 2. Ut mortis cauſa donationes legatis comparentur, & ne inſinuatione indigeant 87. in princ. De donationibus curialium & decurio donare non poſſit etiam mortis cauſa 87. c. 1. De donationibus a curialibus factis 101.

De publicis judiciis, accuſationibus & exhibendis reis, & eorum cuſtodia.

Ut rei criminum edictis legitimis evocentur 134. c. 5. Ne mulieres in carceribus includantur pro privato aut fiſcali debito: & ut pro crimine in monaſterio aut aſceterio contineantur, neve monaſteria, aut aſceteria ulla ratione de propriis monaſteriis aut aſceteriis trahantur 134. c. 9.

De adulteriis.

Quemadmodum maritus uxorem adulterii accuſare debeat 117. c. 8. §. *ſi de adulteriis.* De pœna adulteri & mulieris adulteræ 134. c. 10. Ut adulter præſumatur, qui ter aut ſolenniter monitus non deſinit cum uxore alterius colloqui, & ut repertus a marito cum uxore loqui, poſſit ubivis interfici, ut non in templo 117. c. 15. Ne quis luxurietur contra naturam 77. 141. De muliere raptum paſſa 143.

De ſepulcris violatis.

Ut non liceat creditori heredes defuncti pro debito moleſtare ante novem dies 115. c. 5. De pœna creditoris cadaver mortui inferri prohibentis 60. c. 1.

De pœnis.

De pœnarum omnium moderatione 134. c. 13.

De tributis.

De exactionibus ſive delegationibus tributorum 128.

De fabricenſibus & armis.

De armis 85.

De mendicantibus validis.

De ignavis & mendicantibus validis coercendis vide Novell. 80. c. 5.

De re militari.

De militum tranſitu & introitu 130. Milites ne privatorum poſſeſſionibus defendendis incumbant 116.

ANTONII CONTII, JC.

& in Biturigum Metropoli Doctoris Ordinarii

PRÆFATIO IN LIBRUM NOVELLARUM.

Interdixerat Iuſtinianus ullam legem imperialem extra Corpus Codicis legi, l. 1. C. de emendatione Codicis; ſed non ſine ulla exceptione: adjecit enim, niſi poſtea varia rerum natura aliquid novum creaſſet, quod imperiali conſtitutione indigeret: quod ſi eveniſſet, novam legem congregationem ſollicitat eſſe, quæ Novellarum nomine Conſtitutionum ſignificaretur. Porro idipſum accidit: & vix novus Codex promulgatus erat, cum interpellatus Imperator conſtitutionem de heredibus & Falcidia edidit; vix altero menſe poſt editum Codicem, ut qui editus ſit 16. Kal. Dec. ipſo Imperatore IV. Conſule: novella autem conſtitutio de heredibus data eſt Kalend. Jan. Beliſario viro clariſſimo Conſule. Scripſit ſubinde & ſequentibus noviſſimis atque annis alias novellas ad extremum Imperii ſui annum, quæ omnes in unum congregationem relatæ, novellæ appellatæ ſunt conſtitutiones. Sane Gregorius Pontifex Romanus (qui vix triginta annis poſt Iuſtinianum ſcripſit) conſtitutiones novellarum vocat ii. ep. 1. c. 37. Cæterum pauca illarum conſtitutionum Latino ſermone primum ſunt editæ, quæ etiam hodie ab aliis ex Græco in Latinum factis, ſtyli integritate diſcerni poſſunt: Cæteræ omnes Græca primum lingua compoſitæ, quod & Græcis jam hominibus & proceribus uteretur Iuſtinianus, lingua Latina ut plerimum ignaris, & ſummam atque ſtabile Imperium in Græcia obtineret, in Latio vero jam illo tempore anceps atque dubium. Ad Latinorum tamen hominum uſum, & ex Græca in latinam linguam tranſlatæ eæ conſtitutiones fuerunt, eodem vel certe non longo poſt tempore: Ita eſt injucundum & ſalebroſa, atque ut ita dicam barbara quæ hodie habetur. Verum id non omnino veteris interpretis culpa accidiſſe arbitror, tametſi illum ab omni culpa vindicare nemini mihi ſit. Paruit enim legi Iuſtinianeæ, quæ ita demum in alium linguam leges transformari permiſit, ſi modo ſub eodem ordine eademque verborum conſequentia, id eſt, eo genere, quod Græci κατὰ πόδας dicunt, transferrentur l. tanta C. de vet. jur. enucl. Metuebat enim, ne ſi vulgari illa transferendi libertas paſſim permitteretur, novæ ex verbis legis ſuborirentur calumniæ, & occaſiones illis legibus, ut variis & ambiguis, non paterent. Itaque & veteres illi ſeptuaginta Bibliorum interpretes & qui novum Domini & Salvatoris noſtri Teſtamentum tranſtulerunt, & veteres Ariſtotelis interpretes, eandem convertendi religionem & formidinem præ oculis habuerunt. Verba enim potius quam phraſes converterunt. Scribit Dionyſius Exiguus (qui utique temporibus floruit Anaſtaſii Imperatoris) in præfatione Conciliorum Græcorum a ſe tralatorum, tantam fuiſſe priſcæ tralationis confuſionem, ut regulas eccleſiaſticas de integro transferre coactus ſit. Nihil igitur cauſa eſt, cur hoc ſolo argumento, non eſſe hanc veterem tralationem novellarum dicamus, quod confuſa & ſpinoſa ſit. Quid ſi certis indiciis demonſtro, eſſe veterem & a temporibus fere Iuſtiniani hoc uſque tranſmiſſam? Gregorius primus, qui fuit illis fere temporibus, ejus tralationis verbis utitur, eaſque prolixe recitat apud Gratian. 11. q. 1. c. 35. Item in decretalibus tit. de teſtib. c. 2. ubi c. ult. Nov. 90. de teſtib. recitat. In Concilio quoque Pariſienſi (quod certum eſt eſſe antiquiſſimum & tempore S. Ludovici factum) recitatur ex ea tralatione integer locus ex Novella ſcil. 123. ubi etiam Conſtit. 123. appellatur. Locus extat apud Ivonem Epiſcopum Carnotenſem pannomiæ ſuæ parte quinta. Iam vero leges Caroli M. filiorumque ejus & nepotum, hac tralatione plena ſunt. Sanctus denique Iſidorus (qui fuit iiſdem fere temporibus, quibus Gregorius primus) in libro canonum eccleſiaſticorum integram Novell. 42. de depoſitione Anthimi, & ex eadem veteri tralatione ſumpſit: quam ex eodem Iſidoro poſt vulgatas novem collationes idcirco adſcripſi. Prætermitto innumera veterum Pontificum ſcripta: Mitto Ivonis, Burchardi, Gratiani, Ioh. Saleſberienſis ſcripta, & rhapſodias, quæ multas paginas hujus tralationis continent. Verum poſt illos inventus eſt Irnerius, qui non ſolum tralationis, ſed etiam totius ſententiæ & libri plenam elevaret, a quodam Monacho librum tam verboſum & acephalum ſcriptum aſſeveret: quem optimis rationibus ab Azone confutatum legimus. Iiſdem autem temporibus, quibus illa tralatio facta eſt, prodiit & harum conſtitutionum epitome, a Iuliano quodam viro eloquentiſſimo, anteceſſore Conſtantinopolitanæ civitatis: ſic enim appellatur in veteri quadam ejus epitome manuſcripta, quam mihi communicavit aliquando doctiſſ. anteceſſor Iac. Cuj. Quæ quidem epitome longe purioribus verbis & elegantioribus conſcripta eſt quam vetus illa tralatio. Vtraque tamen tralatio diligenter a veteribus juris interpretibus, Io. Pilio, Rogerio, Azone, Accurſio, lectitata & comparata cum invicem, tum etiam cum cæteris juris libris. Vt autem in his duabus citandis atque allegandis vitaretur confuſio, prolixiorem illam tralationem vocaverunt Authenticum, quaſi dicerent verum & nullo modo detruncatum Iuſtinianearum novellarum exemplum: breviorem enim hanc Iuliani epitomen ſimplici nomine nuncupaverunt novellas, utraque etiam tralatio conſtitutiones ſingulas habuit propriis capitibus diſtinctas, ita ut breve ſingulorum capitum argumentum literis miniatis deſcriptum eſſet: quod nos in hac editione perpetuo obſervari curavimus & quæ ex manuſcriptis libris interdum reſtituere non potuimus, proprio ingenio confingere conati ſumus. Conſtat enim id a Iuſtiniano factum & obſervatum fuiſſe, cum & ipſe numerum capitum ſæpe exprimat. Cur autem multæ deperierint, in cauſa hæc ſunt. Erant inter has leges permultæ conſtitutiones ἰδικαὶ & locales, quarum nullus fere uſus eſſe viſus eſt illis præſertim Longobardis plus æquo Muſas & humaniores literas abhorrentibus, nilque quod non πρὸς ἄλφιτα conduceret, magnifacientibus: cujuſmodi erant, de privil. archiep. Iuſtin. primæ. Ut Eccleſia ſanctæ reſurrectionis, &c. de Armeniis, de præſide Piſidiæ, Lycaoniæ, Thraciæ, Iſauriæ. *Et hujuſmodi prope innumeræ, quæ quia ab interpretibus in ſchola non legebantur, deſierunt paulatim deſcribi, ut aliquæ omnino perierint: A diligentioribus tamen librariis ad calcem libri deſcribebantur, quemadmodum ex meis aliquot exemplaribus deprehendi, a quibuſdam etiam ad antiquitatis memoriam aſſervabantur. Nam Iac. de Belloviſu, qui commentarios ad novellas ſcripſit, teſtatur, ſe eas omnes extravagantes novellas (ſic enim appellat) ad finem lecturæ ſuæ adſcribi juſſiſſe ſæpeque idcirco perquiſivi lecturam iſtiuſmodi manuſcriptam, ut verumne ſit, quod ſcripſit, experirer. Nam impreſſis ejus commentariis deſunt. Porro ſciendum eſt, nullis titulis, nullaque arte, ſed prout quæque conſtitutio facta eſt, ita omnes temere & fortuito in hanc congregationem congeſtas eſſe, ſola temporum (ut mihi quidem videtur) ratione habita. Vulgata autem in novem collationes diviſio, a nobis retenta eſt, quia ſicut nova eſt, & non multum ante Gratiani tempora excogitata, ita ad memoriam & allegandi promptitudinem apprime utilis. Quas autem ille Iacobus extravagantes appellabat, omnes partim ex Haloandro, partim ex Scrimgero, partim ex Iuliano manuſcripto, partim etiam ex meis manuſcriptis in Decimam * collationem coacervavi, illaſque tantum tranſtuli, quæ nec ab Hal. nec ab ullo, quod ſcirem, aut quem haberem, Interprete tralatæ fuerant. Quod ad editionum varietatem attinet; illud diligens librorum inſpector facile animadvertet, ex Græco exemplari longe fideliori & integriori vulgarem hanc tralationem prodiiſſe, quam aut Haloandrinam (quæ a quodam privato homine propria autoritate contaminata eſt) aut Scrimgerianam, quæ ſuas lacunas habet & nullam Latinarum continet. Sane ut Haloandrinam editionem elegantiorem eſſe non inficior; ita & hanc plerumque fideliorem in pleriſque locis adnotavi, nam dum vitat barbariem, incidit plerumque in pravam affectationem. In Novella* 96. cap. 11. *ad criminalem accuſationem refert, quod ad civiles cauſas pertinet, dum vitat vulgarem tralationem,* ἐν αἰτίαις ἐποιήσατο, *in conventione fecit. Cætera illius tralationis vitia invidioſe nolo contra viri benemeriti exiſtimationem congerere, malimque ob ſummos ejus, pro communi Studiorum utilitate, labores & conatus gratias agere. Melius tamen (ut opinor) publicis ſtudiis eſſet conſultum, quando propter gloſſarum uſum, quæ prima capitum ſeu paragraphorum verba ſemper uſurpant, vulgata editione carere non poſſumus, ſi in illius tralationis vitiis perpurgandis, quamvis permulta ſint, elaboraſſet.*

* Decima Contii collatio continet Nov. 11. 13. 21. 24. & multas alias, quæ hic ſuis quæquæ locis inſertæ ſunt.

IN NOMINE

IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI JESU CHRISTI.

INCIPIT

LIBER[1] CONSTITUTIONUM NOVELLARUM[2] D. JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS, PERPETUI AUGUSTI.

COLLATIO PRIMA[3].

TIT.[4] I.

DE[5] HEREDIBUS[6] ET FALCIDIA[7].

NOVELLA[8] CONSTIT. PRIMA.

Imperator Juſtinianus Auguſtus, Joanni glorioſiſſimo ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſule & patricio.

PRÆFATIO.

OCcupatis nobis circa totius Reipublicæ curas, & parvum[9] nihil eligentibus cogitare, ſed quatenus Perſæ quidem conquieſcant, Vandali[10] vero cum Mauris obediant, & Carchedonii[11] antiquam recipientes habeant libertatem, Tzani[12] autem nunc primum ſub Romanorum facti republica, inter ſubjectos habeantur: (quod nondum hactenus, niſi ſub imperio noſtro dedit Romanis Deus) incurrunt etiam propriæ ſollicitudines a noſtris ſubjectis ſemper nuntiatæ, quarum quidem ſingulis damus competentem formam. Quæcunque vero frequenti quidem potiuntur[13] per partes auxilio, poſſibilia tamen ſunt ſcripta lege, ut communem omnibus præſtent (in quibus opus habent) utilitatem: hæc oportere putavimus & lege ſancire, & tradere ſubjectis per ſe juvantia, & non ſemper juſſione Imperatorum egentia. §. 1. Semper igitur nobis importuni ſunt, alii quidem nos pro legatis[14] relictis, non tamen præbitis, adeuntes: alii vero pro libertatibus; alii ob aliud quiddam: quod tranſmittentes quidem hereditates, dari quibuſdam aut fieri conſtituerunt: indevote[15] autem & res adeunt, & eas percipiunt: & quod eſt juſſum, non faciunt: cum itaque etiam a veteribus legislatoribus dictum ſit, competentes[16] deficientium diſpoſitiones, quæcumque non repugnant legibus, omnibus modis impleri. † Sed quoniam ita poſitas leges jam plerumque neglectas invenimus: reparare eas judicavimus oportere: & tam viventibus præbere ex eis cautelam, quam morientibus hinc exhibere honorem. §. 2. Primum itaque illud eſt cogitandum, quia teſtantibus aliis[17] quidem neceſſitatem imponit lex diſtribuere quandam partem perſonis quibuſdam tanquam hoc ſecundum ipſam[18] naturam eis debeatur, quale eſt filiis & nepotibus, & patribus[19], atque matribus, interdum vero etiam fratribus, & ſi quam[20] hujuſmodi perſonam, aut in iis qui ex nobis ſunt aut ex quibus nos ſumus, enumeraverunt leges. Aliis autem nulla conſiſtit neceſſitas partem dare quamlibet propriæ ſubſtantiæ: ſed ſua poteſtas eis largitur, ad quoſcunque teſtator voluerit, proferenda.

CAP. I.

Si heres legata ſolvere noluerit.

HIs igitur[21] a nobis præordinatis, ſancimus eos qui ab aliquibus ſcripti ſunt heredes, aut meruerunt fideicommiſſa, per univerſitatem forſan, aut per ſpeciem, aut legatum, neceſſitatem habere, quæcunque teſtator & honorans eos, diſpoſuerit, omni modo ea complere[22], ſi quod præcipitur, legitimum ſit[23], aut ſi non illud aliqua lex prohibeat[24], vel ſi non fiat ab eo qui honoratus eſt, tamen ratum[25] eſſe expreſſe jam demonſtrat. §. 1. Si quis autem non implens quod diſpoſitum eſt, ſed[26] dum competat ei qui honoratus eſt, quod relictum eſt, etiam ex decreto judicis admonitus, annum[27] totum protraxerit, non agens hoc quod præceptum eſt, ſi quidem aliquis illorum fuerit, qui neceſſario ex lege præcipiunt[28], in plus autem, quam quod lex ei dare vult, ſcriptus eſt heres: tantum accipiat ſolum, quantum lex ei dare ſecundum quartam ab inteſtato partem concedit: aliud[29] vero totum auferri. Et ſi quidem etiam alii quidam ſcripti ſunt heredes, accreſcere[30] illis ſecundum[31] partem inſtitutionis quæ unicuique diſtributa eſt. Si vero nullus alter ſit heres: aut ſint quidem ſcripti quidam, non autem adeant hereditatem: tunc quod aufertur, adjiciatur aliis rebus: & licentia præbeatur & legatariis, & fideicommiſſariis, & ſervis libertate honoratis, adire, & hæc acquirere: ita ut omnibus modis quod præceptum eſt, [per teſtantem] impleatur: cautione[32] videlicet prius ab eis facta, ſecundum quod perſonarum vel rerum receperit modus: *quia*[33] *res accipientes, agent in eis quæ recte voluerunt teſtatores.* † Si vero nullus horum, de quibus teſtamento memoria facta eſt, voluerit adire: (hoc eſt[34], coheres, aut legatarius, aut fideicommiſſarius, aut ſervus libertate honoratus:) tunc ad alios, quos lex ab inteſtato vocat, poſt eum quidem qui ſcriptus eſt, & legitima per hanc legem parte excluſus, deferri res: & ſimiliter præbentes cautionem, *quia complent quæ teſtamento continentur.* † Inordinatum vero nihil neque confuſum, nec in his fieri volumus: ſed primus ſecundum[35] ordinem vocatus, poſt eum qui jam excluſus eſt a lege noſtra, ita vocetur prior: deinde qui poſt illum eſt: ita de cætero, donec ultimus relictus locum faciat etiam alicui exterius venientium, & adire, & quæ relicta ſunt implere: poſt[36] quos etiam fiſcum ſi voluerit, ponimus: Etenim in legatariis & fideicommiſſariis hunc eſſe volumus ordinem, ut detur licentia aditionis priori per[37] univerſitatem fideicommiſſario: aut, multis exiſtentibus, majorem partem habenti: quoniam & in ſimilitudinem[38] heredis conſiſtit, & maxime apud nos, qui Trebelliano ſoli dogmati dedimus in talibus fideicommiſſis locum, Pegaſiani circuitiones[39] odio habentes, & expellentes. Si vero aut non fuerit quiſpiam per univerſitatem honoratus: aut fuerit ſed noluerit agere quod juſſum eſt: ad eos qui majoribus propriis legatis aut fideicommiſſis honorati ſunt, hujuſmodi venire fiduciam: ſic quoque ſervis dari tempus qui libertate honorati ſunt, & adire, & liberis cautum eſſe, & res percipere, & complere quæ juſſa ſunt, cum prædicta dudum cautione. Si vero nullus fuerit legatariorum vel fideicommiſſariorum per univerſitatem aut per ſpeciem majori parte aut in legato, aut in fideicommiſſo honoratus,

1 Hæ Juſtiniani Novellæ conſtitutiones Græco ſermone ſunt editæ: earumque præcipuæ editiones duæ. Una Haloandri: Scrimgeri altera. Quæ nunc ſequitur Latina interpretatio, veteris eſt ac incerti autoris. Cujacius tamen 8. *obſ. ult.* hominem Græcum fuiſſe exiſtimat, & quidem eruditum. Molinæus *quæſt.* 1. *de uſuris, n.* 67. Latiniſmi imperitum appellat. Equidem animadverti unam etiam & eandem conſtitutionem multoties ſibi diſſimilem: ut jam veteris editionis varios interpretes fuiſſe putem. Extant præter veterem interpretationem aliæ non ita pridem editæ. Prior eſt Haloandri, altera Henrici Agylæi, cui tamen ſatis fuit lacunas Haloandrinæ editionis ex Scrimgeriana ſupplere.

2 *Novellæ* νεαραὶ διατάξεις. Non ita dicuntur, quod nova & alia a veteribus jura contineant, ut Cedrenus putat: ſed quod μετὰ τὸν κώδικα, id eſt, quod noviſſime promulgatæ ſunt, poſt Codicem Juſtiniani repetitæ prælectionis. Eadem appellatio tributa conſtitutionibus, quæ poſt primas editæ fuerunt. *l.* 34. *C. de inofficioſ. teſtam.* quales etiam dicuntur, quæ multis poſt ſeculis a variis Imperatoribus latæ ſunt. Et extant generis hujus Novellæ Leonis, & aliorum: quarum fit apud Harmenopulum paſſim mentio, ſed & *in fine Synopſeos Baſilicon*, dicuntur etiam *Authentica:* cujus vocis rationem vide apud Alciatum 2. *parerg.* 46. 3 Hic liber Novellarum in 9. collationes diſtributus fuit, non a Græcis, ſed a Latinis interpretibus. Collationum enim Græci Codices nullam mentionem faciunt. 4 Extat in Reginæ Bibliotheca novus & brevis in has Novellas titulorum Index, quem Latinum vide apud Cujacium *tom.* 4. *fol.* 332. *& ſeq.* 5 Vide Julianum Patricium *conſt.* 1. *Epitom.* 6 Qui non obtemperant voluntati defuncti ſcilicet eorumque pœnis. Pertinet etiam hæc Novella ad legatarios, fidejcommiſſarios, mortis cauſa donatarios, quibus adimplere voluntatem defuncti ceſſantibus omne teſtamenti commodum aufertur. 7 Heredibus extraneis, ſcriptis, vel nuncupatis tributa & confirmata, dummodo inventarium faciant: quod olim non exigebatur. 8 Adde Julianum Patricium conſtitutione 1. *Epitomes.* 9 Μικρὸν ὀδὲν, id eſt, neque de re parva cogitationem inſtituentibus. *Haloand.* 10 Dixi ad *l.* 1. *& 2. C. de off. præf. prœt. Afric.* 11 Carthaginenſes. 12 Τζάνοι, de quibus Novella 28. Procopius & Agathias horum meminit. Iidem Ζάννοι qui olim μάκρωνες, ſi credimus Stephano: ſed tamen Macrones, qui & μαχέλονες Arriano: Macricæ Apollonio 1. *Argonaut.* diverſi a Ζάννοις Xenophon. Arrian. Porro Tzani fuerunt gentes Ponticæ.

13 Κατὰ μέρος, Græci dicunt, hoc identidem & ſubinde. 14 Πρεσβεῖα non modo ſunt ea quæ legatis, hoc eſt, iis qui legatione funguntur, dantur, ſed & quæ teſtamento relinquuntur. Cedrenus *in Theodoſio juniore*, διετάξατο λαμβάνειν πρεσβεῖον. 15 Ἀγνωμόνως: ſunt autem ἀγνώμονες contumaces & indevoti. 16 Teſtamenta quæ legibus non repugnant, ſervanda. *Novell.* 22. *c.* 2. *Novell.* 48. *c.* 1. *l. ult. in fin. C. de fideicomm.* 17 Teſtatorum, alii lege coguntur certam hereditatis portionem quibuſdam proximis perſonis relinquere, alii non coguntur. 18 Legitima deſcendentium & aſcendentium, & quorundam collateralium ſecundum naturam debetur, *ut hic.* ex natura §. 2. J. *hic.* neceſſitate legis §. *eod.* debito naturali, *l.* 36. §. 2. *C. de inoff. teſtam.* naturali quadam lege & tacita: de qua re vid. quæ dixi ad *l.* 7. *ff. de bonis damnator.* 19 *l.* 15. *ff. de inoffic. teſtam. l.* 7. *in fin. ff. de vulgari & pupill.* 20 Ut patronum, Julianus *hic.* 21 Vid. in hanc Novell. Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib.* 2. *c.* 17. & Rittershuſ. *part.* 6. *c.* 8. Anſ. 22 Voluntas defuncti ab herede implenda: facit *l.* 27. *in fin. ff. de condit. & demonſtr.* 23 Vid. *l.* 27. *ff. de condit. inſtit.* Goth. De pœna eorum qui non adimplent ultimam voluntatem defuncti, vid. Rittershuſ. *part.* 6. *c.* 6. Anſ. 24 Conditioni prohibitæ, heres impune non paret. Hoc tamen verbum in neutra editione legitur. Quod cum ita ſit, veriſimilius eſt hic de legis repræſentatione agi eo ſenſu, in his quæ lex nominatim repræſentat, ceſſationem, aut contumaciam heredi nihil nocere, ut in libertatibus, quæ repræſentantur SC. Rubriano *l. ult. C. ſi mancipium ita fuerit alienatum.* Irn. Cujac. *hic.* 25 Quod jus remittit, id etiam heres omittit impune, puta conditionem jurisjurandi. *l.* 8. *ff. de condit. inſtitut.* viduitatis, lege Julia. *l.* 63. *l.* 74. *ff. de condit. & demonſtr.* divortii, *l.* 5. *Cod. de inſtit & ſubſtit.* quidvis denique in fraudem legis *l.* 27. *in fin. ff. ad l. Falcid.* 26 Sed dum quod juſſus eſt facere recuſat, ἀλλ' ἀρμόσαντα τῷ τετιμημένῳ τοῦ καταλειφθέντος. *Haloand.* ἀλλὰ ἁρμόσαντος &c. Scrimg. ſed dum legatario moram facit, Julian. 27 Qui numerandus eſt ab admonitione & conventione judicis, non ab aditione, poſt condemnationem, menſe quarto, *c.* 4. J. *h. t.* 28 Puta filius, parens, mater, frater. 29 Pœna heredis proximi ceſſantis voluntatem defuncti adimplere. 30 Quod heredi contumaci decreſcit, reliquis non contumacibus adcreſcit. 31 Jus adcreſcendi fit ſecundum partes inſtitutionis. 32 Pro parte hereditaria. *l. un.* §. 8. §. 10. *C. de caduc. tollen.* de qua vid. *l.* 19. *ff. de legat* 3. In perſona tamen fiſci ceſſat hæc ſatisdatio, *l.* 1. §. 18 *ff. ut legat.* 33 Cautionis formulam obſerva. 34 Hoc eſt ſubſtitutus, coheres. 35 Gradus ſuccedentium ex teſtamento. *l.* 24. §. 17. *ff. de fideicomm. libert.* 36 *l. un.* §. 14. *C. de caduc. toll.* 37 Fideicommiſſarii & legatarii univerſales præferuntur ſingularibus. 38 Fideicommiſſarius & legatarius qui majorem partem habent, ſimiles ſunt heredi. *l.* 5. *in fin. ff. quod cum eo*, *l.* 4. *in fin. ff. de bon. libert.* Hinc colligunt, filium, cui univerſale fideicommiſſum relictum ſit, non poſſe dicere teſtamentum nullum. qua de re dicemus *alibi* plenius. 39 Adde §. 7. *Inſt. de fideicomm. libert.*

ſed